

Verba deo
Pauderet
Cum tota
Clamatere
Elegia VII.

ELEGIA VII.

AD EGREGIUM ORATOREM SACRUM.

Qui priscos tantum scriptores æquat Olympo,
Tantum incana virum sæcula commemorat,
Et contra quidquid fert nostra hæc temporis ætas
Despuit, atque alga vilius esse putat,
Quam tumido expulsam fluctu mare litore in udo
Liquit vesano ludibrium Boreæ,
Neglectamque solo volvi finit usque viator,
Pastorque, ac simæ prætereunt pecudes;
Non veteres amat ille, odit sed nostraque, nosque,
Et foeda foede livet ab invidia:
Ipsam quin rerum naturam culpat iniquus,
Fessa velut partu multiplici, ac vario
Illa suas penitus vires profuderit olim,
Proque viris pufos nunc ferat exiguos,
Parva hominum simulacra, quibus doctrinaque desit
Omnis, mensque omni judicio careat;
Nec magnum quidquam, quidquam nec promere salsum
Lingua gravi, & culto sit potis eloquio.
Atqui nos etiam Pindo formosus Apollo,
Et Musæ placido lumine respiciunt
Interdum, dictantque aliquid, mirata nepotum
Ætas quod merita laude sub astra ferat,
Æterna & cedro curet servare, voraci
Ereptum blattæ scilicet, ac tineæ.
Nostra etiam hæc aliquem felici sæcula partu
Progignunt, quem nec Roma vetus celebri
Magna foro quondam sprevisset verba tonantem,
Graja nec innuptæ Palladis urbs, Sophiæ